

quod est hominis in quantum homo, et præscindit omnem designationem materiæ, unde de individuis hominis non prædicatur. Et propter hoc quandoque hoc nomen essentia invenitur prædicatum de re : dicitur enim Sortis essentia quædam ; et quandoque negatur, sicut dicimus quod essentia Sortis non est Sortes.

In hac quinta et ultima parte hujus capituli comparat essentiam specificam ad individuum secundum totalitatem, partialitatem, prædicabilitatem et formalitatem.

Ad quorum evidentiam advertendum est, quod, sicut supra de essentia generica dictum est, quod potest significari per modum totius et per modum partis; ita nunc dicitur, quod essentia specifica potest accipi ut significata nomine primæ intentionis per modum totius, et per modum partis. Per modum quidem totius sicut essentia humana significatur per ly homo ; per modum vero partis, sicut illam significatur per ly humanitas. Differt autem ipsa a se altero modo significata in hoc quod significata per modum totius implicite includit individua : significata vero per modum partis excludit illa a sui significatione. Quod sic declaratur exemplariter : homo cum significet habens naturam humanam, implicite includit sub ly habens omnia individua humana ; habens enim naturam humanam est quocumque individuum humanum ; humanitas autem cum significet quo homo est homo, omne aliud ab humanitate excludit a ly quo ; nullum enim aliud ab humanitate est, quo homo est homo : et ideo cum principia individuantia sint aliud ab humanitate, ut supra dictum est, sequitur quod humanitas excludit principia individuantia a sui significatione, et consequenter individua quæ sine individuatione intelligibilia non sunt, sicut neque species absque differentia intelligi potest ; et cum pars ut pars non prædicatur de suo toto, omne autem prædicatum in recto habet rationem totius, ideo essentia primo modo, id est per modum totius significata, de individuis in recto prædicatur : significata vero per modum partis, nequaquam ; et propter hoc illa est vera, Sortes est homo, illa autem falsa, proprie loquendo, Sortes est humanitas (ut Avic. testatur) ; et sic jam patet proportio essentia specificæ ad individuum secundum tria, scilicet totalitatem, partialitatem, et prædicabilitatem.

Quoad formalitatem vero declaratur apposita differentia inter essentiam genericam per modum partis significatam respectu speciei, et essentiam specificam per modum partis significatam respectu individui. Differunt enim in hoc quod illa est pars materialis speciei, ista vero est pars formalis individui. Et ratio est quia illa, scilicet essentia generica, comparatur ad alteram partem speciei, ut materia ad formam et perfectibile ad suam perfectionem, cum designatio seu determinatio generis ad speciem fiat per differentiam, quæ sumitur a specifica forma, quæ perficit et complet perfectionem genericam : ista vero, scilicet specifica essentia, comparatur ad alteram partem individui, ut forma ad materiam et perfectio ad perfectibile, cum designatio seu determinatio speciei ad individua fiat per materiam signatam, quam imperfectiorem esse specifica forma, qua essentia specifica sumitur, constat : ideo animalitas est pars materialis hominis, humanitas vero est pars formalis Sortis : et dicitur quod est forma totius non quasi superaddita, etc.

Ad evidentiam horum verborum est notandum, quod forma totius et

forma partis, ut in secundo capite visum fuit, differunt realiter, non sicut una forma differt ab alia forma, puta albedo a dulcedine, sed sicut totum et pars ; et ideo dicitur hic, quod forma totius non est quasi superaddita partibus, id est, non est forma addita materiæ et formæ, sicut forma domus est forma addita lignis, lapidibus, cæmento, et cæteris partibus ; sed magis est forma quæ est totum, id est ipsum compositum resultat ex partibus. Quod cum per modum partis formalis significatur, forma totius appellatur, eo quod totus est complete certificativum et distinctivum et determinativum : hæ enim sunt conditiones formæ. Et residuum sermonis epilogus per se patens est.

CAPUT IV

Quanam ratione essentia conveniat esse genus, speciem, vel differentiam, ostendit.

Viso quid significetur nomine essentia in substantiis compositis, videndum est quomodo se habeat ad rationem generis, speciei, et differentia. Quia autem cui convenit ratio generis, speciei vel differentia, prædicatur de hoc singulari signato, impossibile est quod ratio generis vel speciei vel differentia conveniat essentia, secundum quod per modum partis significatur, ut nomine humanitatis vel animalitatis : et ideo dicit Avic. quod rationalitas non est differentia, sed differentia principium, et eadem ratione humanitas non est species, nec animalitas genus.

In hoc quarto capite intendens determinare quomodo essentia substantiarum compositarum se habeat ad intentiones logicas, scilicet genus, speciem, differentiam, quatuor facit : primo sex conclusionibus determinat intentum ; secundo excludit quendam Averrois errorem ; tertio excludit quendam aliam objectionem ; quarto respondet cuidam tacite objectioni.

Pro intellectu primæ partis notande sunt duæ distinctiones. Prima est ista : Natura seu essentia substantia composita potest tripliciter accipi : primo, ut significata per modum partis ; secundo, ut per se existens separata a singularibus ; tertio, ut significata per modum totius. Secunda distinctio, quæ est subdivisio tertii membri, est ista : Natura substantia composita significata per modum totius potest accipi tripliciter : primo, secundum se ; secundo, secundum esse quod habet in singularibus ; tertio, secundum esse quod habet in intellectu.

His prælibatis, scias quod secundum singula membra harum divisionum ponit singulas conclusiones : secundum prima quidem duo membra utriusque divisionis ponit quatuor negativas ; secundum vero ultima utriusque ponit duas affirmativas, ita quod secundum quamlibet divisionem primo ponit duas negativas, deinde tertiam affirmativam : et sic fiunt sex conclusiones.

Prima ergo conclusio negativa est : Essentia substantia composita significata per modum partis, sicut animalitas, humanitas, rationalitas, non est genus neque species neque differentia. Quam probat sic : tam genus, quam species, quam differentia prædicatur in recto de hoc parti-

ulari supposito, puta sorte: essentia substantiæ compositæ significata per modum partis non prædicatur in recto de hoc particulari supposito; ergo essentia taliter significata non est genus, nec species, nec differentia. Omnes propositiones patent ex præcedenti capite, et ideo dicitur Avic. quod rationalitas, quæ significat per modum partis, non est differentia, sed principium differentiæ, et similiter animalitas non est genus, sed generis principium, et humanitas non est species, sed speciei principium, sicut albedo est principium albi, et pars est principium ejus cujus est pars.

Similiter etiam non potest dici, quod ratio generis, speciei, differentiæ conveniat essentia, secundum quod est quædam res existens extra singularia, ut Platonici ponebant; quia sic genus et species non prædicarentur de hoc individuo: non enim potest dici quod Sortes sit hoc quod ab eo separatum est. Nec separatum illud proficit in cognitione hujus singularis signati.

Hic ponitur secunda conclusio negativa: Essentia substantiæ compositæ per se non in singularibus existens non est species sive genus. Et probat eam duplici ratione. Primo sic: genus seu species prædicatur de hoc particulari: essentia per se subsistens non in singularibus non prædicatur de hoc particulari; ergo essentia per se subsistens non in singularibus non est genus seu species. Major patet; minor probatur sic: subjectum est id quod in recto de eo prædicatur: Sortes non est homo separatus; ergo Sortes non est subjectum respectu hominis separati; ergo homo separatus non prædicatur de Sorte: quod erat assumptum in minore. Secundo sic: genus seu species est id quo individua cognoscuntur: essentia per se subsistens non in singularibus non est id quo individua cognoscuntur; ergo essentia per se subsistens non est genus neque species. Major patet: ex eo quod unumquodque per suum genus, speciem, differentiam cognoscitur; minor vero ex eo quod unumquodque cognoscitur quidditative per id quod est in eo, et non per id quod non est in eo.

Et ideo relinquitur, quod ratio generis, vel speciei, vel differentiæ conveniat essentia, secundum quod significat per modum totius, ut nomine hominis vel animalis, prout implicite et indistincte continet totum hoc quod in individuo est.

Hic ponitur tertia conclusio affirmativa: Essentia substantiæ compositæ significata per modum totius est species, genus vel differentia, etc. Probatur sic: genus, species seu differentia substantialiter continet et implicite totum quod est in individuo: essentia substantiæ compositæ non nisi significata per modum totius continet implicite totum esse individuum; ergo essentia substantiæ compositæ significata per modum totius est genus vel species vel differentia. Propositiones omnes ex præcedenti capite patent, ubi diximus genus, speciem, differentiam convenire in hoc quod significant totum quod est in inferioribus, et sua abstracta excludere ea quæ sunt in inferioribus: est igitur animal genus, homo species, rationale differentia.

Natura autem vel essentia sic accepta potest dupliciter considerari. Uno modo secundum naturam et rationem propriam: et hæc est absoluta consideratio ipsius: et hoc modo nihil est ve-

rum de ea dicere, nisi quod conveniat sibi, secundum quod hujusmodi. Unde quicquid aliorum sibi attribuitur, falsa est attributio: verbi gratia, homini, in eo quod est homo, convenit rationale et animal, et alia que in ejus definitione cadunt; album vero vel nigrum vel quodcumque hujusmodi, quod non est de ratione humanitatis, non convenit homini in eo quod est homo. Ideo, si quaeratur utrum ista natura possit dici una vel plures, neutrum concedendum est: quia utrumque est extra intellectum humanitatis, et utrumque potest sibi accidere. Si enim pluralitas esset de ratione ejus, nunquam posset esse una: cum tamen una sit secundum quod est in Sorte. Similiter si unitas esset de intellectu et ratione ejus, tunc esset una et eadem natura Sortis et Platonis, nec posset in pluribus plurificari. Alio modo consideratur secundum quod habet se in hoc vel in illo, et sic de ipsa prædicatur aliquid per accidens ratione ejus in quo est: sicut dicitur quod homo est albus, quia Sortes est albus, quamvis homini non conveniat in eo quod est homo. Hæc autem natura habet duplex esse: unum in singularibus, aliud in anima; et secundum utrumque consequuntur accidentia dictam naturam: et sic in singularibus habet multiplex esse secundum diversitatem singularium; et tamen ipsi nature secundum propriam considerationem, scilicet absolutam, nullum istorum esse debet; falsum enim est dicere, quod natura hominis, in quantum hujusmodi, habeat esse in hoc singulari; si enim esse in hoc singulari conveniret homini, in quantum est homo, non esset unquam extra hoc singulare; similiter si conveniret homini, in quantum est homo, non esse in singulari, nunquam esset in eo. Sed verum est dicere quod homo, in quantum est homo, non habet quod sit in hoc singulari vel in illo; patet ergo quod natura hominis absolute considerata abstrahit a quolibet esse, ita quod non fiat præcisio alicujus eorum, et hæc natura sic considerata est quæ prædicatur de omnibus individuis.

Hic antequam ponatur quarta conclusio, inchoatur secunda divisio supra posita, cujus terminos oportet prædeclari ad intellectum conclusionum. Natura per modum totius significata, secundum naturam seu rationem propriam, vel secundum se, idem sunt quod natura considerata secundum eas conditiones, sive ea prædicata, quæ conveniunt sibi ex sua definitione, seu in primo modo dicendi per se.

Natura vero secundum esse in singularibus idem sonat quod natura considerata secundum eas conditiones, sive secundum ea prædicata, quæ conveniunt sibi ex hoc quod in singulari vel in singularibus esse habet. Natura autem secundum esse in intellectu idem sonat quod natura considerata secundum eas conditiones, sive illa prædicata, quæ conveniunt sibi ex hoc quod habet esse in intellectu. Differunt autem quadrupliciter, ut ex textu colligitur, conditiones convenientes naturæ secundum has diversas acceptiones, eo quod conditiones debentur naturæ secundum se simpliciter sunt prædicata essentialia: homo enim secundum

se non est nisi animal rationale; conditiones vero debite naturæ reliquis duobus modis sunt prædicata denominativa: homo enim non est res illa, quæ convenit ei ex esse in singularibus, sed ab ea denominatur: non enim homo est albedo quæ convenit ei ex hoc quod est in Sorte, sed ab ea denominatur albus. Similiter homo non est res illa quæ convenit ei esse in intellectu, puta relatio universalitatis aut speciei, sed denominatur ab ea universalis et species. Et licet hæc duo ultima membra in hoc convenient, quod attenduntur penes prædicata denominativa: differunt tamen quia prædicata denominativa, quæ conveniunt naturæ secundum esse in singularibus, aliquid ponunt reale supra ipsam, sicut album addit supra hominem, naturam albedinis quæ est ens reale: prædicata vero denominativa, quæ conveniunt rei secundum esse in intellectu, nihil ponunt reale supra naturam ipsam; sed denominationem negativam aut relativam secundum aliquam relationem rationis. Cum enim dico: homo est species, ly species nihil reale addit supra hominem, sed solum relationem rationis quia respicit suum genus: species enim generis est species.

Secundo differunt istius divisionis positæ membra in hoc quod natura absolute sumpta nec est una numero, nec plures numero: si enim esset una numero, non posset reperiri in pluribus numero: quod patet esse falsum, eo quod natura humana est in Sorte et Platone. Consequentia probatur sic: natura secundum se est una numero: ergo non potest esse distincta numero; ergo non potest reperiri in pluribus numero: quod erat intentum. Prima consequentia harum ex eo est clara, quia impossibile est alicui convenire oppositum ejus quod convenit ei secundum se, sicut impossibile est homini convenire irrationale: distinctio autem numeralis est opposita unitati numerali, et ideo si natura secundum se habet unitatem numeralem, nunquam habere potest distinctionem numeralem. Similiter probatur, quod natura secundum se non sit plures numero: sequeretur enim naturam humanam non esse in Sorte, quia non posset habere unitatem numeralem, ex quo vendicet sibi secundum se distinctionem numeralem. Natura autem secundum esse in singularibus unitatem et distinctionem numeralem sortitur: propterea namque homo est unus numero, quia Sortes est unus numero: et propterea homo est distinctus numero in pluribus: quia Sortes et Plato sunt distincti numero.

Tertio differunt in hoc, quia natura secundum se sumpta nullum esse sibi vendicat, scilicet nec esse in singulari aut singularibus, nec esse in intellectu: nec etiam vendicat sibi non esse in singulari et singularibus, aut non esse in intellectu, quod patet ex eisdem fundamentis. Si enim esse in singulari esset de ratione sua, nunquam extra illud inveniretur, cum nihil invenitur extra id quod est de ejus ratione; similiter si esse in singularibus esset de ejus ratione, non posset in uno inveniri, quia in uno natura existens non est in pluribus; similiter si esse in intellectu esset de ratione ejus, nunquam posset extra intellectum reperiri: eodem modo si non esse in singularibus aut singulari esset de ejus ratione, nunquam posset habere esse in aliquo singulari; et si non esse in intellectu esset de ejus ratione, nunquam posset habere esse in intellectu ex illo fundamento. Nulli potest convenire oppositum, quod est de ratione sui: unde natura absolute sumpta ab omni esse et non esse abstrahit sine præcensione, id est nec includit nec excludit aliquid hujusmodi esse vel non esse. Natura autem tam secundo, quam tertio modo

accepta, alterum illorum esse includit, et alterum excludit, ut de se patet: homo enim secundum quod est in singularibus, non est in intellectu; et, e contra, secundum quod est in intellectu, non est in singularibus.

Quarto differunt: quia natura per modum totius significata secundum se sumpta est ea quæ prædicatur de individuis, cum dicitur, Sortes est homo. Natura autem sumpta tam prout est in singularibus quam prout in intellectu non prædicatur de individuis. Quod declaratur sic: id prædicatur de individuis quod attribuitur illis in propositione: sed natura absolute accepta et non secundum esse in singularibus neque secundum esse in intellectu attribuitur individuis in propositione; ergo natura absolute sumpta et non secundum esse in singulari vel intellectu prædicatur de individuis. Major est nota ex terminis. Minor declaratur exemplariter: cum dico, Sortes est homo, sensus propositionis est, Sortes est animal rationale: ita quod in ista propositione nihil attribuitur Sorti nisi esse animal rationale, quæ sunt conditiones naturæ humanæ absolute acceptæ, ut patet: non enim cum dico, Sortes est homo, attribuo Sorti aliquod debitum naturæ humanæ ex esse in singularibus, aut ex esse in intellectu: neque attribuo Sorti habere naturam humanam cum aliquo addito; sed tantum attribuo Sorti habere naturam humanam, seu esse animal rationale, quæ sunt, ut dictum est, conditiones naturæ humanæ secundum se acceptæ. Natura igitur primo modo sumpta est, quæ prædicatur de individuis, et non natura secundo et tertio modo.

In hoc loco antequam ulterius procedatur, dubia quædam examinanda sunt. Circa prædicta dubium est. Primo circa primam differentiam assignatam in eo quod dictum est, quod natura secundum se sumpta non insunt nisi prædicata quidditativa; hoc enim patitur difficultatem tum propter transcendentia, tum propter quedam prædicata negativa. Si enim transcendentia, quæ sunt ens, res, unum, aliquid, verum, et bonum, convenire asserantur naturæ absolute sumptæ, erunt prædicata quidditativa, etsi sic ponatur in diffinitione: nulla enim diffinitio est completa, nisi omnia prædicata quidditativa includat: transcendentia autem in diffinitione poni omnes negant.

Confirmatur consequentia ex dictis S. Thomæ in littera, ubi habetur quod quæ insunt natura absolute sunt de diffinitione illius: si autem transcendentia dicantur non convenire naturæ absolute, tunc homo secundum se sumptus non est aliquid, nec res, nec unum quid: quod omnino negatur.

De prædicatis vero negativis occurrit difficultas talis: quia negationes naturarum disparatarum si conveniunt naturæ absolute erunt prædicata quidditativa: et sic negatio erit de diffinitione substantiæ. Si autem conveniunt naturæ secundum esse in singularibus vel in intellectu, tunc accipiendi hominem absolute, ista erit falsa, Homo non est leo: quod videtur irrationabile.

Ad horum dissolutionem considerandum est primo, quomodo transcendentia se habeant ad naturas rerum, supra quæ cadunt; ut autem supra in questione de significatione entis tractatum fuit, nullum transcendentium importat alium gradum, seu aliam naturam a gradibus seu naturis eorum, quibus apponuntur. Cam enim dico, ens homo, unus homo, res homo, verus homo, bonus homo, aliquid homo, nullum alium gradum ab humanitate significo, sed ipsam humanitatem diversis modis: ly

enim ens, significat humanitatem, prout habet esse: ly unus, illam prout non est divisa formaliter: ly res, illam prout latitudinem habet, utpote non ex intellectu fabricata: ly bonum, ipsam, prout perfectiva est appetitus: ly verum, ipsam, ad perfectiva est intellectus: ly aliquid, ipsam, ut aliud quid est ab aliis. Simili modo est dicendum accepto quocunque gradu generico, ut facilius exemplo manifestari potest.

Considerandum est secundo, quod cum primum inter transcendentia sit ens (eo quod ejus ratio ceterorum rationes prevenit) et omnia convertatur cum ente, tanquam ejus passiones, cum declaratum fuerit quomodo ens conveniat naturis rerum, planum erit de ceteris. Scotus ergo I Sent., dist. III, quest. III, opinatur ens esse univocum et predicari, inquit, de omnibus inferioribus exceptis ultimis differentis. Et primum quidem horum tanquam per se notum supponens, secundi duplice rationem reddit.

Primo, quia si differentia includat ens univoce dictum de eis, et non sunt omnino idem: oportet quod sint diversa aliquid idem entia: et consequenter sequitur, quod differentia ultima sint proprie differentes, et sic habent alias differentias, et non sunt ultima.

Secundo, quia sicut ens compositum in re est compositum ex actu et potentia: ita conceptus compositus per se unus est compositus ex conceptu actuali et potenciali determinabili et determinante. Sicut ergo resolutio compositi in re stat ad simpliciter simplicia, scilicet actum ultimum et potentiam ultimam, ita quod actus nihil potentiae, et potentia nihil actus includat: ita resolutio conceptus debet stare ad conceptus simpliciter simplices actuales et potentiam determinabilem tantum, ita quod nihil determinantis includat, et determinantem tantum, quod nihil determinabilis includat: tales sunt conceptus entis et ultimae differentiae; ergo ultima differentia non includit formaliter ens.

Contra primum arguitur: quia sequeretur, quod ens poneretur in definitione, contra Arist. VIII Metaph., text. comm. XVI.

Præterea sequitur, quod esset negatio in definitione, ut supra in quaest. de univocatione entis deduximus.

Contra secundum dictum arguo sic: omne id, de quo formaliter sumpto prædicatur in secundo modo passionis entis, includit in se formaliter ens: sed de ultima differentia formaliter sumpta prædicatur in secundo modo passionis entis; ergo ultima differentia includit in se formaliter ens. Minor patet, quia ultima differentia est per se una et intelligibilis. Major probatur sic: omne formaliter includens medium proprium a priori, per quod demonstrantur passiones entis, includit in se formaliter ens: patet ista, quia entis conceptus est illud medium. Sed omne id, de quo formaliter sumpto prædicatur in secundo modo passionis entis, includit in se formaliter medium, per quod tales passiones de eo sunt demonstrabiles: ergo omne tale includit formaliter ens. Patet ista minor, quia implicat oppositum. Si enim formaliter A non includit proprium medium concludens B, quomodo de A formaliter sumpto erit a priori demonstrabile B? Secundo arguo, et in idem redit: omnis passio conveniens pluribus formaliter sumptis, convenit eis ratione alicujus communis in eis formaliter inclusi, cui illa passio primo convenit: sed unitas vel intelligibilitas est passio conveniens omnibus ultimis differentis formaliter sumptis; ergo convenit eis ratione alicujus communis formaliter inclusi in eis, cui primo convenit: tale autem est ens; ergo omnes differentiae ultimae includunt ens. Minor est per se

nota. Major est Arist. I Posteriorum. Nec potest dici ad majorem, quod sufficit subjectum denominative includi in eis quibus formaliter sumptis convenit passio illius subjecti. Quia cum tota ratio quare passio alienus insit alteri, sit participatio illius subjecti primi: si alicui formaliter sumpto inest passio, eidem formaliter sumpto inest et subjectum: et si formaliter sumptum subjecti expers est, quomodo formaliter sumptum illius passionem habere potest? Ut arguatur sic: id quod formaliter sumptum a se subjectum excludit, etiam a se passionem excludit: sed ultima differentia formaliter sumpta non excludunt a se passiones entis in secundo modo; ergo nec excludunt ens in primo modo. Nec patiuntur aures tue audire responsum Francisci de Mayronis dicentis, regulam adductam posterioristica Aristoteleis non tenere in transcendentibus. Voluntaria enim et destructiva totius metaphysicæ glossa est.

Ad rationes autem Scoti dicitur, quod cum tam prima, quam secunda supponant ens habere conceptum objectivum unum simpliciter, nihil concludit. Dicitur secundo ad secundam, quod argumentum a simili claudicat: licet enim sit similitudo quoad aliquid inter compositum naturale et intellectuale: dissimilitudo tamen se excludunt: quia quaedam res speciales sunt, partes autem compositi intellectuales non possunt mutuo se excludere: quia altera (puta ens) est adeo universalis, ut nihil possit eam subterfugere.

Avicenna autem Alfarabius et Algazel, ut testatur Albertus in Post-predicamentis, cap. IX, opinantur quod ens non conveniat naturæ absolute sumptæ. Unde dicunt hanc consequentiam non valere, Homo est substantia: ergo homo est ens; eo quod ens significat aliquid additum essentiae rei, quod non est de ejus ratione; quod expresse etiam de Avicenna refert Commentator IV Metaph., comment. III, et X Metaph., comm. VIII.

S. Thomas autem, cujus est opus, quod exponendum suscipimus super IV Metaph., lect. II, super text. comm. III et super lect. II, supra text. comm. VIII, expresse in hoc reprehendit Avicennam; unde sententia ejus non est censenda eadem opinionis Avicennæ, licet difficile sit videre in quo differat ab ea, cum ipse teneat nullum aliud a Deo esse ens per suam essentiam, sed per aliquid additum suæ essentiae: et expresse dicat in quolibet secundo, questione secunda, articulo primo, ens non esse predicatum essentiale: et in I contra Gent., cap. XXVI, dicat ens non cadere in conceptu substantiæ: quod est genus generalissimum.

Propter quod a quibusdam dicitur, quod ens dupliciter sumitur, scilicet nominaliter et participatiler. Et quod ens nominaliter quidditative et intrinsece de omnibus prædicatur: sic enim unumquodque est ens per essentiam suam. Ens vero participatiler, cum idem sonet quod existens, non est prædicatum quidditativum: sic enim nihil aliud a Deo est ens per essentiam suam: unde secundum istos ens nominaliter convenit naturæ absolute, non autem ens participatiler. Addunt quoque quod ens nominaliter est divisum in decem prædicamenta, et est transcendens conversum cum aliis, proprie loquendo, non ens secundo modo: et ideo reprehensibilis erat Avicenna qui hanc distinctionem prætermisit.

Mihi autem aliter dicendum occurrit: dico enim quod ens participatiler est id quod est transcendens, divisum in decem prædicamenta. Quod ex eo patere potest, quod S. Thomas, I parte, quaest. V et VI,

et in quæstionibus de veritate, quæstione vigesima prima, ostendit bonum, quod etiam dividitur in decem prædicamenta (ut dicitur I Ethicorum) converti cum ente participialiter non nominaliter, ut clare patet ex duobus.

Primo, ex eo quod dicitur, quod cum bonum et ens convertantur sicut res est ens, ita bona : sed non est ens per essentiam suam ; ergo nec bona. In quo processu, ut fallacia equivocacionis vitetur, non nisi de ente participialiter est sermo. Secundo, ex eo quod dicitur, id, quo res formaliter est bona, non esse ens : quod dictum de ente nominaliter falsum est : quia esse actualis existentie, quo res est ens et bona, est ens nominaliter. Ens igitur quod convertitur cum bono, quod est transcendens, divisum in decem prædicamenta, est ens participialiter.

Sed in Entis nomine duo aspici possunt, scilicet id a quo nomen Entis sumitur, scilicet ipsum esse, quo res est ; et id ad quod nomen Entis impositum est, scilicet id quod est. Supra enim, in principio operis, dictum est ens significare id quod est in quolibet prædicamento : et in hoc differre ab essentia, quæ significat id quo res in prædicamento reponitur. Unde I Physicorum, textu commenti xii, Aristot., loco ly ens, ponit ly quod est. Avicenna ergo attendens ad id quo res est, unde nomen entis sumptum est, dixit simpliciter, ens esse prædicatum extra essentiam rei. S. Thomas vero intrens id quod est, ad quod nomen Entis impositum est, Avicennæ non adhesit. Namque ipsum quod est, non prædicat aliquid extra essentiam rei. Insuper advertens, quod ipsum quo res est, scilicet actualis essentia, non est extraneæ naturæ ab ipso quod est, sed per principia propria ipsius, quod est constituitur, inter prædicata accidentalia, ens enumerare noluit : hoc enim non potest asseri de quocunque alio extra essentiam rei. Nihil enim extra essentiam rei per propria principia ipsius rei constituitur, nisi rei existentia. Quocunque enim aliud per principia propria alterius generis constituitur, scilicet genus proprium, et differentiam propriam, et universaliter propria illius prædicamenti principia.

Ipsium autem existere, non nisi per genus et differentiam et principia ipsius, quod est constituitur. Et hæc est ratio, qua S. Thomas arguit Avicennam IV Metaph., ubi supra ; unde ens prædicatum de aliquo, puta homine, cum non trahat hominem extra proprium genus et propriam differentiam : nec ratione ipsius, quod est, substantiale prædicatum esse reliquitur cum Aristotele et Commentatore, ubi supra, licet non sit omnino eodem modo substantiale, quo prædicata illa, que in definitione cadunt. His prælatis, ad dubium dico quod transcendentia non sunt prædicata propria naturæ secundum suam absolutam considerationem, neque secundum esse in singularibus, neque secundum considerationem : sed sunt prædicata communia naturæ quomodolibet accepta, convenientia non solum concomitative, sed et causaliter. Et de natura quidem tam secundo quam tertio modo accepta, patet : ex hoc enim quod homo in singularibus invenitur, entis, unius, rei, et reliquorum rationem habet. Similiter ex hoc quod habet esse in intellectu ens est aliquo modo indivisum, etc. ; debetur enim sic sibi aliquid esse, licet rationis. De natura autem primo modo sumpta, ex dictis patere potest, et ex eo quod in quocunque invenitur posterius transcendens, invenitur et prius. Manifestum est autem de posterioribus transcendentibus, quæ sunt unum, res, aliquid, etc., quod conveniunt naturæ absolute. Unde de homine, absolute loquendo, ista est vera, Homo est ens. Unde et S. Thomas dicit

super X Metaph. ubi supra, quod ens prædicat naturas decem generum, secundum quod sunt actu, vel potentia, et non tantum secundum quod sunt actu.

Ad rationem in dubio tactam, qua dicebatur : si sic, ergo transcendentia essent ponenda in definitione, dicitur primo, quod non oportet omnia prædicata essentialia poni in definitione, sed ea tantum quæ explicant alium gradum essentialium diffiniti : qualia non sunt transcendentia de quibus dictum est quod eundem gradum prædicant quem genus vel differentia importat. Unde VIII Metaph., ex comm. xix dicit Arist. quod ideo nec ens ponitur in definitionibus, nec unum : quia ens statim est unumquodque : definitio enim completa tunc est, cum omnes rei gradus explicantur a prima potentia usque ad ultimum actum intrinsecum, quod sine transcendentibus, quæ nullum gradum addunt, fit. Dicitur secundo de ente, quod quia ens importat aliquo modo ipsum esse : quod pertinet ad quæstionem, an est, et non ad quæstionem, quid est : ideo a prædicatis quidditativis aliqua ter declinat.

Ad dictum S. Thomæ dicitur, quod transcendentia duo habent, et quod in nulla definitione ponatur ratio dicta et quod in quolibet conceptu includantur, ut dicitur de ente, III Metaph., text. comm. x, quod secundum ideo dictum arbitratur, quia transcendentia quælibet gradum continentur : et ideo conceptui nulli desunt. Et sic dico, quod ea que naturæ absolute conveniunt, in cuius ratione cadunt, conveniunt rei in eo quod talis ; homo enim in eo quod homo, est ens, res, aliquid, etc. Ex his, diligens lector, habes unde diversa dicta S. Thomæ sane intelligere debeat.

Quoad prædicata negativa vero dicitur breviter, quod negationes illæ possunt dupliciter accipi, formaliter scilicet et fundamentaliter. Si formaliter, falsum est quod convenient naturæ absolute : per opus enim intellectus attribuntur ei, cum negationes entia rationis sint. Si fundamentaliter, cum negatio super affirmatione fundetur, conceditur esse prædicata quidditativa, sed sic sumptæ nihil aliud sunt quam genus et differentia propria. Fundamentum enim negationum naturarum disparatarum de homine nihil aliud est quam natura hominis : ex hoc namque quod homo est animal rationale, non est leo neque bos, etc.

QUÆSTIO VII

Num natura absolute sumpta unitatem vel pluralitatem habeat.

Dubium secundo est circa dictum S. Thomæ in littera in assignatione secunde differentie, quod dicitur, quod natura absolute sumpta nec unitatem, nec pluralitatem habet.

Videtur enim hoc esse impossibile, cum id, quod unum non est, diffinibile non sit, ut dicitur VII Metaph., text. comm. xii, imo nec intelligibile, ut habetur IV Metaph., comm. x. Et si unitatem naturæ absolute habere concedatur, qualis sit illa unitas, non est facile assignare : cum non numeralis sit, ut declaratum est, nec specifica, nec generica, cum hæc ex intellectu fiant, nec analogica, ut de se patet, homo enim non est unum analogice. Nec etiam facile quisquam dicit, an unitas illa sit realis an non.

Ad evidentiam hujus dubitationis quinque facienda sunt. Primo videntur est quid sit unitas quælibet. Secundo, unde habeat unitas realita-

tem. Tertio, quomodo unitas quælibet sit extra animam. Quarto, respondendum est dubitationi mota. Quinto, quædam objectiones excludendæ sunt.

Quoad primum sciendum est, quod cum unum nihil addat supra ens, nisi privationem divisionis: ita quod unum nihil aliud est, quam ens indivisum, ut dicitur IV Metaph., text. comm. in. Unitas quælibet nihil aliud est, quam res indivisio. Et quia quælibet privatio per suum habitum cognoscitur, ideo unitas quæ indivisionem sonat, ex natura divisionis, quam privat, cognosci debet, et secundum divisionis multiplici-tatem unitatis, multiplici-tatem accipere oportet.

Considerandum est igitur quod divisio est duplex, quædam est materialis per principia individuationis causata, quædam est formalis, quæ per essentialia fit. Et hæc habet latitudinem, quia quædam est per essentialia principia propria. Quædam vero per principia essentialia communia: et hoc iterum habet latitudinem, secundum quod principia essentialia communia sunt magis et minus communia; verbi gratia, inter Sortem et Platonem est divisio numerus et non formalis, quia non causatur distinctio eorum ex essentialibus, sed individualibus principiis. Inter Sortem vero et hunc leonem, dato quod leo et homo essent sub eodem genere primo, est divisio formalis per essentialia principia propria, ultimas scilicet differentias tantum. Inter Sortem vero et hanc plantam est major divisio formalis per principia, scilicet essentialia communia Sorti, et multis aliis speciebus, scilicet sensibile et insensibile. Inter Sortem vero et hunc lapidem est divisio formalis adhuc major per communiora principia, scilicet per animatum et inanimatum. Et sic semper ascendendo intenditur divisio formalis: adeo quod inter Sortem et hanc albedinem est maxima divisio formalis, utpote per propria et communissima principia essentialia, scilicet substantivum et dispositivum modos entis prædicamentorum constitutivos.

Similiter per omnia de unitate dicendum est. Unitas enim est duplex. Quædam numeralis, et quædam formalis. Unitas numeralis attenditur penes privationem divisionis numeralis. Unitas autem formalis attenditur penes privationem divisionis formalis, et hæc habet latitudinem. Quædam enim privat divisione formali omnino causabili per principia propria communia: et hæc est unitas formalis simpliciter. Quædam vero privat divisione formali non simpliciter, sed taliter causabili, scilicet per principia communia: et hæc est unitas formalis secundum quid, et habet latitudinem secundum quod divisio privata causabilis est a magis et minus communibus principiis essentialibus; verbi gratia, Sortes est unus numero: quia non est per materiales differentias in se distinctus. Homo est simpliciter unus formaliter: quia non compatitur secum divisionem formalem quæcumque. Animal vero est unum formaliter, inquantum non compatitur secum divisionem per sensibile et insensibile: non tamen habet unitatem simpliciter, quia compatitur secum divisionem per rationale et irrationale. Corpus vero est minus unum formaliter: est enim unum, quia non est in se divisum per corporeum et incorporeum. Est autem minus unum, quia compatitur secum divisionem formalem majorem, scilicet per animatum et inanimatum. Ens autem minime est unum, unum quidem est pro quanto non est in se divisum proportionaliter, minime vero pro quanto tantam diversitatem formalem cum sua unitate compatitur. Ex his patet primum, quid scilicet sit unitas quælibet: quia scilicet unitas est indivisio, et talis unitas

est talis indivisio, id est divisionis privatio: ita quod nihil aliud est dicere, Sortes est unus numero, id est Sortes est ens carens divisione numerali; Homo est unus formaliter, id est homo est ens carens divisione formaliter. Hæc de primo.

Quoad secundum est sciendum quod ens reale dupliciter accipitur: uno modo ut distinguitur contra ens ab intellectu fabricatum; alio modo ut distinguitur contra ens reale sive sit, sive non. Secundum modo id tantum quod realiter existit extra causas suas, est ens reale. Et quia hoc proprie est ens reale apud S. Thomam dicentem in questionibus de Potentia Dei, quæst. III, art. 5, ad secundum, quod res, antequam existat, est nihil, et est sententia hæc conformis Aristoteli in Prædicamentis dicenti quod, destructis primis substantiis, impossibile est aliquid remanere: ideo unitas sicut et cætera realitatem habet, proprie loquendo, pro quanto ipsa existit actu extra animam et causas suas.

Quoad tertium propono tres propositiones. Prima est: quælibet unitas supradicta, tam scilicet numeralis quam formalis, existit extra animam. Secunda est: nulla unitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis existit in rerum natura. Tertia est: omnis unitas formalis existens extra animam multipliciter realiter ad multiplicationem ipsarum rerum. Prima propositio est adeo manifesta, quod nullus sanae mentis potest eam negare. In Sorte enim præter omnem intellectus operationem apparet utraque unitas. caret enim in seipso divisione numerali et formali causabili per principia propria et communia, et sic indivisionem numeralem et formalem habet. Unde in Sorte non est sola unitas numeralis, sed formalis multiplex secundum multitudinem prædicatorum quidditativorum; et sicut non sola individualitas Sortis est extra animam, sed quodlibet ejus prædicatum quidditativum, ita non sola unitas numeralis, sed quælibet ejus unitas formalis extra animam dicenda est esse.

Ad intelligentiam vero secundæ est notandum, quod res potest intelligi communis extra animam dupliciter: uno modo positive; alio modo negative. Illa res est communis positive, quæ indivisa manens in pluribus suppositaliter distinctis invenitur. Illa vero est communis negative, quæ nulli supposito est propria. Primo modo rem communem nullam recolo asserentem dari extra animam nisi essentiam divinam secundum fidem christianam. Secundo modo videtur a quibusdam poni res extra animam communis, de quibus sermo erit infra; et quia hoc alienum a veritate mihi videtur, ideo de tali communitate intelligendo secundam propositionem probo dupliciter.

Primo sic: nulla res exigens quidditatem solitarie inveniri extra animam existit in rerum natura: sed unitas communis extra animam, negative pluribus suppositaliter distinctis est res exigens quidditatem solitarie inveniri extra animam; ergo nulla unitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis existit in rerum natura. Major sic probatur: nullum exigens ad suum existere aliquid impossibile invenitur: sed quidditatem extra animam solitarie inveniri est impossibile; oportet enim ipsam esse in aliquo supposito; ergo id, quod exigit ipsam solitarie inveniri, nunquam existit in rerum natura. Minor autem probatur sic: id, quod exigit quidditatem non propriam alicui supposito extra animam, exigit ipsam solitarie existentem. Sed unitas hominis extra animam pluribus suppositaliter distinctis exigit quidditatem non pro-

priam alicui supposito; ergo unitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis exigit quidditatem solitarie inveniri in rerum natura. Hujus præallegati præmissæ notæ sunt ex terminis. Major quidem: quia quidditas non proprie alicui supposito necessario est solitarie: si enim non est solitarie, est in aliquo supposito: et si est in aliquo supposito, est propria illi. Minor vero patet: quia commune et proprium sunt opposita: commune enim includit negationem proprii, et e converso. Statim enim ut res appropriata est alicui communis negative, esse desinit, eo quo negatione appropriationis caret: et statim ut commune negativa est appropriata alicui, non est, eo quod negationem appropriationis habet. Oppositum ergo prædicati inferi oppositum subjecti in utraque præmissa.

Præterea, secundo proba sic: omnis res existens in rerum natura est res particularis: nulla unitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis est res particularis; ergo nulla talis unitas est in rerum natura. Major est nota ex communi Peripateticorum sententia. Minor probatur sic: omnis res particularis est alicui uni supposito propria, aliter non esset particularis: nulla unitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis est alicui uni supposito propria, hoc patet ex terminis; ergo nulla talis unitas est particularis.

Tertia propositio probatur sic: quotiescunque aliqua duo sunt convertibiliter idem realiter, multiplicato realiter uno, multiplicatur et reliquum: sed res una et unum sunt convertibiliter idem realiter; ergo multiplicata realiter multiplicabitur realiter et ejus unitas. Sed pluralitas numeralis est realis; ergo multiplicata re numeraliter plurificabitur et ejus uni as. Unde in Sorte et Platone sicut sunt duæ corporeitates, animalitas es, et humanitates: ita sunt duæ unitates formales sequentes corporeitates, et duæ sequentes animalitates, et duæ sequentes humanitates. Oportet enim secundum numerum prædicatorum essentialium esse numerum unitatum formalium in quolibet individuo. Sicut enim quodlibet prædicatum quidditativum dat aliquid esse: ita dare oportet aliquam unitatem; unum enim et ens idem sunt, ut dicitur IV Metaph., text. comm. iii.

Ex his patet tertium, quomodo scilicet unitates habeant esse extra animam: quia sunt non communes, sed particularitate et multiplicatè numeraliter juxta numerum individuum, quorum sunt. Hæc de tertio.

Quoad quartum dico, quod natura absolute sumpta habet unitatem quamdam: ut efficeat concludi ratio adducta, quæ est S. Thomæ in tractatu de natura generis.

Et quando queritur, ut illa unitas est numeralis, aut specifica, dico quod est unitas formalis, quæ alia est a numerali: sicut divisio formalis alia est a materiali. Nec illa unitas formalis est specifica aut generica formaliter: sed est fundamentum unitatis specificæ et unitatis genericæ. Hæc enim unitates formaliter ab intellectu fiunt: illa vero omnem actum intellectus prævenit. Quod autem in littera dicitur, quod natura absolute sumpta, nec est una, nec est plures, intelligendum est de unitate et pluralitate numerali.

Ad id vero, quod dubitationi additur, an ista unitas sit realis, aut non, dico quod secundum se est realis primo illorum modorum, quos supra posuimus, accipiendo ens reale sicut et natura ipsa absolute sumpta: et sicut natura secundum esse in singularibus est ens reale secundo modo, ita unitas illa, quæ semper naturam comitatur, in particularibus,

posita est realis vere et proprie. Idem enim est judicium de natura et ejus unitate. Hæc de quarto.

Quoad quintum duo dubia propria occurrunt. Primum est circa secundam propositionem, in qua dictum est quod nulla est unitas communis extra animam.

Secundum est circa id quod nunc dictum est, quæ scilicet alicuius sit alia unitas formalis a numerali in Sorte.

Contra primum enim instatur sic. Quæcumque suppositaliter distincta sunt unum formaliter extra animam habent aliquam unitatem communem eis extra animam: Sortes et Plato sunt unum formaliter extra animam; ergo Sortes et Plato habent aliquam unitatem sibi communem extra animam. Major ex eo videtur manifesta, quod si aliqua suppositaliter distincta sunt unum, in eo quo sunt unum non distinguuntur: et sic illud unum est commune utrique extra animam, ex quo sic sunt unum.

Præterea, humanitas quæ est in Sorte, quantum est ex se, non est determinata ad Sortem vel Platonem: ergo unitas formalis humanitatis, quæ est in Sorte, quantum est ex se, est communis negative Sorti et Platoni. Consequentia est nota, quia etiam unitas formalis non est determinata quantum est ex se ad Sortem et Platonem. Antecedens autem de se est manifestum: datur ergo extra animam aliqua unitas communis negative pluribus suppositaliter distinctis.

Circa secundum dubium videtur quod inter unitatem formalem et unitatem numeralem in Sorte existentem sit alicuius realis: quia quarumcumque privationum habitus distinguuntur realiter, ipsæ quoque distinguuntur, sicut quia visus et auditus distinguuntur realiter, cæcitas etiam et surditas realiter differunt: sed unitas formalis et numeralis habitus distinguuntur realiter; ergo, etc. Patet ista: quia divisio formalis et divisio numeralis adeo distinguuntur, quod in rebus separatis a materia formalis sine numerali invenitur, et in istis inferioribus individua ejusdem speciei numerali divisionem absque formalis habeant.

Ad opposita vero respicienti apparebit, quod sit alicuius rationis tantum, quia sicut se habet natura formalis ad naturam individualem, ita unitas formalis ad unitatem numeralem: sed natura formaliter sumpta est eadem naturæ numeraliter sumpta, et non nisi ratione ab ea distinguitur; ergo unitas formalis est eadem realiter unitati numerali, et non nisi ratione ab illa est alia.

Pro dissolutione primi dubii nota, quod aliqua duo suppositaliter distincta esse unum formaliter contingit dupliciter. Uno modo per hoc, quod illa duo adveniunt in aliquo extra animam communi utrique indiviso in utroque illorum. Alio modo per hoc, quod illa duo habent mutuam negationem inter se divisionis formalis. Exemplum primi non invenio in rerum natura, nisi (ut dictum est) secundum fidem christianam in Trinitate. Exemplum secundi invenitur in omnibus individuis ejusdem speciei. Sortes enim, nullo intellectu considerante, habet hanc negationem, scilicet quod non est divisus a Platone formaliter, et Plato similiter non est divisus a Sorte formaliter. Et quia ad eos esse unum formaliter, nihil aliud requiritur quam esse indistinctos formaliter, ideo simpliciter verum est Sortem et Platonem esse unum formaliter extra animam. Committitur ergo fallacia consequentis in argumento a superiori ad suum inferius affirmative; esse enim unum formaliter est superius ad habentia aliquid commune indivisum in eis extra animam,

et ad habentia duas naturas cum mutua negatione divisionis formalis. Non enim est imaginandum Sortem et Platonem esse unum formaliter, quia conveniant in aliquo in quo non distinguuntur extra animam, sed ideo quia uterque negatione divisionis formalis ab altero gaudet. Unum enim formaliter nihil aliud est quam non divisum formaliter. Et quod dicimus de unitate formali simpliciter inter Sortem et Platonem, intellige de unitate formali secundum quid inter Sortem et hunc leonem, et hunc lapidem, et hanc intelligentiam, etc. Sicut enim quia Sortes et Plato habent duas naturas, inter quas non cadit divisio formalis, ideo sint indistincti formaliter simpliciter extra animam: ita quia inter Sortis et hujus leonis naturas non cadit divisio formalis talis qualis nata est causari per sensibile et insensibile, ideo Sortes et hic leo sunt indistincti formaliter secundum quid. Ita etiam quia inter Sortem et hunc lapidem non est divisio formalis per corporeum et incorporeum, ideo Sortes et hic lapis sunt indistincti formaliter secundum quid; ita quoque quia inter Sortem et Gabrielem non est divisio formalis, quia nata est causari per modos entis, scilicet per se et in alio, ideo Sortes et Gabriel sunt indistincti formaliter secundum quid, et consequenter sunt unum formaliter absque omni opere intellectus: jam enim pluries dictum est unum idem sonare quod ens indivisum.

Ad secundum dico, quod aliud est dicere: natura humana existens extra animam secum unum se est communis pluribus negative, seu indifferens negative; et aliud est dicere: natura humana existens extra animam est communis pluribus seu indifferens negative; prima enim est vera, secunda vero est falsa. Et veritas primæ patet ex supradictis, ubi diximus quod natura quæ est extra animam, puta natura Sortis, secundum se, id est solitarie sumpta, non est determinata neque appropriata alicui, et consequenter est indifferens seu communis negative. Falsitas autem secundæ patet ex eo quod omnis propositio est simpliciter falsa, in qua prædicatum repugnet subjecto ratione conditionis explicitè importatæ in illo; sicut ista est simpliciter falsa: ignis non approximatus combustibili comburit, quia comburere repugnat igni non approximato passo.

Sed illa propositio secunda, scilicet natura existens extra animam est communis pluribus negative, est hujusmodi: ergo ista est falsa.

Ad evidentiam minoris scito, quod cum dico, Natura secundum se, seu natura absolute, dico duo, scilicet naturam et solitudinem, et ejus conditionem. Similiter cum dico, Natura existens extra animam, dico duo, scilicet naturam et particularem existentiam sibi conjunctam, et ejus conditionem. Unde aliquid convenit sive repugnat naturæ absolute ratione naturæ, et aliquid ratione solitudinis. Similiter aliquid convenit sive repugnat naturæ existenti extra, ratione naturæ et aliquid ratione associationis ejus ad particularem. Cum igitur communis negativæ, quæ est prædicatum in propositione nostra, non conveniat naturæ absolute ratione sui, scilicet naturæ, quia non est ejus prædicatum quidditativum, sed conveniat ei ratione explicitè conditionis per ly secundum se, seu ly absolute, quæ est solitudo (ex hoc enim natura est communis negativæ, quia solitarie accipitur absque determinatione ad hoc vel illud, oportet quod repugnet naturæ sub opposita conditione sumpta ratione illius oppositæ conditionis. Explicit autem conditionem oppositam solitudini naturæ existens extra: eo quod explicat conjunctionem ejus ad particularem existentiam, quæ solitudinem illius tollit. Et ideo

communis negativæ repugnat naturæ existenti extra, non ratione naturæ, sed ratione conditionis explicitæ per ly existenti extra animam: et consequenter propositio illa, in qua subjectum erat, natura existens, et prædicatum erat communis negativæ, est simpliciter falsa. Statim enim ut natura perdit solitudinem, communitatem quoque perdere cogitur. Amittit autem solitudinem, quam primum in alio est.

Unde apparet responsio ad argumentum, quod licet tam natura, quam unitas formalis, quantum est ex se, id est solitarie, sit communis negativæ: ipsa tamen existens extra, non est communis, sicut ipsa, quantum est ex se, non est cum alio: ipsa tamen existens extra necessario est cum alio; et sic non licet inferre: ipsa quantum est ex se non est cum alio, ergo ipsa existens extra non est cum alio; ita non licet inferre: ipsa quantum est ex se, est communis negativæ, ergo ipsa existens extra est communis negativæ. Utrobique enim idem peccatum accidit, et est secundum fallaciam accidentis. Et si hoc intatus fueris, videbis in quo differt positio Scoti in II Sent., dist. III, quæst. I, a positione nostra, et unde in talem opinionem incidit. Dicit enim ipse naturam specificam, puta humanitatem, ratione sui sequi hæc duo, scilicet unitatem formalem et communitatem negativam seu indifferentiam ad plura numero. Dicit namque in fine illius questionis, quod non oportet querere causam quare natura sit communis, quia natura ipsa est causa sufficientis suæ communitatis: sed bene oportet querere causam quare sit singularis, quia non ex se est singularis: et ideo sicut extra animam invenitur natura una formaliter, ita invenitur natura communis pluribus. Nos autem in primo non dissentimus, sed in secundo. Dicimus enim naturam ratione sui sequi unitatem formalem: sed communitatem negativam fateamur non sequi eam ratione sui, sed ratione solitudinis suæ, sicut singularitatem sequi eam diximus ratione associationis ejus ad existentiam. Et quia conditio solitudinis non convenit naturæ ratione sui, nec ratione ipsius esse, quod habet extra animam, sed ratione intellectus, qui natus est adunata dividere: ideo ante omnem actum intellectus nulla communitas in natura invenitur. Et sicut querenda est causa unde habeat natura esse solitariam et esse extra, quia de se neutrum habet, ita querenda est causa unde habeat naturam communitatem et singularitatem: de se enim neutrum habet.

Causa autem unde falsitas in hac Scotica processit opinione, videtur duplex. Prima est æquivocatio illius termini, ex se, seu, de se. Potest enim utrumque eorum accipi dupliciter. Uno modo positive, et sic dicit aliquam habitudinem causæ. Alio modo negative, et sic dicit solitudinem, id est non cum alio; et primo modo intellexit naturam esse communem ex se, ita quod ipsa est sibi sufficientis causa suæ communitatis, ut ex verbis ejus ibi patet: cum tamen debuisset intelligere secundo modo; natura enim ex se, id est non cum alio, est indifferens et communis; sicut quando dicitur, Natura ex se est sola, ly ex se non dicit aliquam causalitatem, sed tantam negationem conjunctionis cum alio.

Secunda causa est distantia inter propositionem negativam et affirmativam de prædicato infinito, reduplicacione addita. Licet enim ex affirmativa de prædicato infinito sequatur negativa, et e converso, ut dicitur in II Perihermenas, quando non sunt reduplicativæ, cum reduplicacione tamen licet ex affirmativa de prædicato infinito, sequatur negativa de prædicato finito, non tamen e contra. Hanc enim, homo in eo

quod homo non est albus, non sequitur ista, Homo in eo quod homo est non albus. Si enim homo in eo quod homo esset non albus, nunquam homini conjungi posset albedo: quia quod convenit alicui, secundum quod ipsum, convenit ei semper necessario et per se. Apparet autem in hoc defectu manifeste processum Scoticum: cum enim commune negative idem sonet quod non proprium, argumentatus est sic: natura, puta humanitas, inquantum talis, non est propria alicui; ergo humanitas, inquantum humanitas, est non propria. Ubi expresse patet defectus prædictus. Et quod sic processerit, patet ex suo processu. Conclusio enim sua est affirmativa de prædicato infinito, cum concludat; ergo natura ex se est communis, id est non propria. Antecedens vero est negativum, scilicet natura non est de se hic, id est propria alicui. Similiter patet ex alio processu, quem ibi inducit, scilicet humanitati Sortis ratione sui non repugnat esse in alio; ergo humanitas Sortis ex se est communis. Ubi aperte patet prædictus defectus. Reduplicationem enim in primo processu sonat ly ex se, seu de se, in secundo ly ratione sui, etc. Et hoc est valde notandum in hac materia, et in materia de universalibus, eo quod hinc omnia pendent. Attentum ergo oportet esse, quod hæc propositio, Natura ex se est communis, si debet esse vera, oportet quod tam ly ex se, quam ly communis, tenetur negative secundum viam nostram, et veritatem: et tunc idem est ac si dicatur, Natura non cum alio sumpta est non propria alicui; quod patet esse verum. Secundum vero Scolum ly ex se tenetur positive, et male; et sensus est, Natura ratione sui sive inquantum talis est non propria alicui: quod est manifeste falsum.

Attentior adhuc sis, quod aliud est dicere, Natura, puta humanitas, inquantum hujusmodi, non est propria alicui, et aliud est dicere, Humanitas, inquantum hujusmodi, non est propria seu communis, quod idem sonat in proposito. Prima enim est vera, quia humanitati in eo quod humanitas non convenit quod sit appropriata alicui.

Secundum vero patet esse falsum ex eadem radice, quia humanitati in eo quod humanitas non convenit quod sit non appropriata alicui. Abstrahit enim ab utroque, scilicet ab esse proprio et ab esse non proprio. Si enim humanitas in eo quod humanitas esset non appropriata, nunquam humanitas esset appropriata alicui, quia, ut dictum est ex I Posteriorum, quod convenit alicui secundum quod ipsum præsupponit de omni, necessarium et per se. Quod autem naturæ ratione sui non conveniat illa communitas, scilicet supra indirecte probatum fuerit, ubi duabus rationibus deducta est falsitas istius propositionis: unitas existens extra animam est communis pluribus suppositaliter distinctis; ad falsitatem enim hujus sequitur falsitas illius: quia quod non convenit rei extra animam, non convenit ei ratione sui. Directe tamen nunc probo sic: omne quod sequitur aliquam naturam ratione sui, prædicatur simpliciter, id est sine aliqua additione de supposito illius naturæ: sed communitas sequitur naturam humanam per te ratione sui; ergo communitas prædicatur simpliciter, id est sine aliqua additione de supposito naturæ humane. Processus bonus in tertio primæ, conclusio autem est falsa; ergo altera præmissarum. Non major, ut declarabitur; ergo minor quæ est positio tua. Falsitas conclusionis patet, quia ista est simpliciter falsa, Sortes est cum communis pluribus: et si addatur ly ex se, adhuc est falsum dicere, Sortes ex se est communis pluribus. Veritas majoris declaratur sic: quod sequitur naturam ratione sui aut est pas-

sio, aut modus aut prædicabile per se, aut per accidentis, aut separabile, aut inseparabile. Modo omnia ista, si comitantur naturam ratione sui, ita se habent quod sicut natura prædicatur essentialiter de individuo, puta homo de Sorte, ita ista prædicatur denominative in suo ordine de ipsomet individuo, ut patet discurrendo.

Et confirmatur hoc quæ in proposito nostro naturam humanam sequuntur unitas formalis et communitas ratione sui secundum te. Unde neutrius est alia causa querenda nisi natura ipsa; ergo, sicut unitas formalis prædicatur simpliciter de Sorte (ista enim est simpliciter vera, Sortes est unus formaliter), et communitas prædicabitur de Sorte simpliciter dicendo, Sortes est communis. Hoc est falsum; ergo, etc. Quenam est major ratio de unitate quam de communitate, et quare eorum quæ sequuntur naturam ratione sui, alia prædicatur de individuo, alia non? Non enim erit facile fingere rationes Scoti, quas ibi facit, quia non concludunt communitatem dari extra animam, sed unitatem: ideo superfluum judicavi adducere. Si quæ autem ex eis aut expositis ab eodem in VII Metaph. ad communitatem probandum adducebantur, non erit difficile sumere responsum ex dictis ad duas illarum hic inductas.

Ad secundi dubii evidentiam sciendum, quod unum, cum dicat ens individuum, importat aliquid positivum et aliquid privativum. Si loquamur de unitate formali et unitate numerali substantiali, quoad propositum quod important, sic sunt idem realiter, et distinguuntur sola ratione. Sic idem realiter sunt Sortes et homo, et ratione distinguuntur: eo quod eadem res est quæ est una formaliter et numeraliter. Si autem loquamur de his unitatibus, quoad privationes divisionum importatas, sic dico quod distinguuntur realiter, dummodo non fiat vis in hoc quod distinctio realis sit passio entis realis: eo quod alia privato est privata divisionis formalis, et alia est privatio divisionis numeralis. Sicut alio est divisio formalis, et alia est divisio numeralis. Nec inconvenient in uno esse plures unitates substantiales realiter distinctas, quoad privationes importatas: esset autem impossibile in uno esse plures unitates substantiales realiter distinctas quoad res positivas, quas important. Unde utriusque rationis adductæ conclusio concedenda est, diversimode loquendo, nec aliter respondere est opus.

QUÆSTIO VII

Nun natura absolute sumpta sit illa quæ prædicatur de individuo.

Dubium est tertio circa assignationem quartæ differentiæ. Non enim videtur verum, quod natura absolute sit illa quæ prædicatur de individuo, quia natura absolute sumpta non est universalis neque communis. In hujusmodi autem propositionibus, Sortes est homo, et Sortes est animal, et similibus, prædicatur universale, et superius de particulari et inferiori. Similiter etiam cum queritur an ista prædicatio, Sortes est homo, sit æqualis de æquali, vel inferioris de inferiori, non videtur posse responderi, tenendo quod natura absolute prædicatur, cum illa nec æqualis nec superior sit.

Ad hoc dicendum est, quod sicut in natura extra est considerare ipsam rationem agendi, et est considerare conditionem ejus sine qua non operatur. Verbi gratia, in colore consideratur natura ejus, ex qua est

visibilis, et consideratur particularitas, quæ est conditio sine qua non est visibilis. Ita in natura predicabili est considerare duo, scilicet id quod prædicatur et attribuitur subjecto, et conditionem sine qua non attribuitur illi. Sicut in hac propositione, Sortes est homo, id quod attribuitur subjecto est ipsa natura humana, et nihil aliud. Conditio vero, sine qua ly homo non prædicatur de Sorte, est esse universale superioris commune, vel aliud hujusmodi. Ut enim infra patebit, et habetur ab Arist. VII Metaph., text. comm. XLVI, nulla res prædicatur, nisi ut habet esse in intellecta, eo quod prædicatio ab intellectu dependet. Unde ad dubium dico, quod natura secundum suam rationem est id quod prædicatur de ipso individuo. Est enim prædicatio rei de re. Superioritas tamen et utilitas et cætera hujusmodi sunt conditiones ejus. Et ideo ad interrogationem, an in illis prædicationibus sit prædicatio æqualis vel superioris, dico quod est prædicatio superioris.

Nec obstat quod superioritas non inest naturæ absolute quæ prædicatur, quoniam non dicit S. Thomas quod naturæ absolute, prout abstracta ab omni esse, conveniat hæc conditio, scilicet prædicatio de individuis, sed dicit quod res cui convenit illa conditio est natura absolute, et non aggregata ex natura et esse in intellectu, seu in singulari. Non enim cum dico, Sortes est homo, est sensus, Sortes est homo secundum esse in intellectu, aut in singulari, aut superiori, aut æquali Sortes est habens humanitatem.

Unde valde attendenda est distinctio inter id quod prædicatur et conditionem prædicati: qua non attenta forte decepti sunt dicentes absolute ex hoc textu haberi, quod ista, Homo est animal, nec est prædicatio superioris, nec inferioris, nec æqualis. Sensus ergo litteræ est: natura absolute quæ est, prædicatur, id est natura secundum conditiones sibi debitas ratione sui est id quod attribuitur singularibus, et non secundum conditiones sibi debitas ex esse in intellectu vel singulari; cum quo stat, quod esse in intellectu universalitas et superioritas simi conditiones, sine quibus natura ipsa non prædicatur de singularibus.

Non tamen potest dici quod ratio universalis conveniat naturæ sic acceptæ, quia de ratione universalis est unitas et communitas. Naturæ autem humanæ neutrum eorum convenit secundum suam absolutam considerationem. Si enim communitas esset de intellectu hominis, tunc in quocumque inveniretur humanitas, inveniretur communitas, et hoc falsum est: quia in Sorte non invenitur communitas aliqua, sed quicquid est in eo, individuum est.

Hic jam ponitur quarta conclusio negativa: essentia substantiæ compositæ absolute sumpta non est universalis, ut species, etc. Probat: sic: universale est unum commune multis: essentia substantiæ compositæ secundum se non est una communis multis; ergo essentia substantiæ compositæ secundum se non est universalis, etc. Major est Aristotelis II Posterior. Minor vero probatur ex eo quod ai secundum se essentia substantiæ compositæ esset una et communis, in quocumque inveniretur illa essentia, esset una et communis multis, quod est impossibile. Et consequentia patet ex eo quod omne quod convenit alicui secundum se, convenit et in quocumque ponatur, ut ex I Posteriorum apparet. Impossibilitas autem consequentis adeo est manifesta, ut Avicenna dicat

II suæ Metaphysicæ, quod nullus sane mentis potest oppositum illius opinari. Quis enim est adeo fatuus, qui dicat essentiam Sortis sibi communem esse et Platoni?

Sed hic occurrit dubium circa propositionem illam, supra quam fundatur totus processus, scilicet: omne quod convenit alicui secundum se, convenit ei, in quocumque ponatur: videtur enim multas habere instantias. Motus enim secundum se est velocitabilis in infinitum ex VI Physicorum, text. comm. xv. Motus autem in cælo positus, nequaquam, sed est velocitas ut dicitur II Cæli, text. comm. xxviii. Similiter continuum secundum se, est divisibile in infinitum ex VI Phys., text. comm. iii. Continuum autem in re naturali positum, non; cum omnium natura constantium determinata sit ratio magnitudinis ut dicitur II de Anima, text. comm. xli. Similiter motus secundum se habet contrarium, ex V Physicorum, text. comm. viii et xiv. Motus autem in cælo positus caret contrario I Cæli, text. comm. xx.

Ad hæc et similia dicitur prænotando quod aliud est dicere, A convenit aliquid secundum se: et aliud est dicere, A non repugnat aliquid secundum se. Ad veritatem enim primi exigitur, quod A vendicit sibi illud in primo, vel secundo, vel quarto modo perscitatis. Ad veritatem secundi sufficit, quod ipsi A ut sic, non repugnet illud. Ad veritatem quoque primi sequitur, illud convenire sibi in quocumque ponatur: ad veritatem secundi, non. Nulla enim sum quæ non repugnat animali in eo quod animal, quæ tamen non invenitur in quolibet animali. Quicquid autem convenit animali in primo, vel secundo, vel quarto modo dicendi, per se invenitur in omni animali. Unde in proposito dico, quod nulla instantiarum adductarum est contra propositionem assumptam, eo quod omnia, quæ in illis dicuntur, intelligenda sunt per non repugnantiam et convenientiam. Cum enim dicitur, motum esse velocitabilem in infinitum, intelligimus motui ut sic, non repugnare velocitatem in infinitum. Similiter cum dicitur, continuum esse divisibile in infinitum, intelligitur continuo ut sic non repugnare divisibilitatem in infinitum. Similiter cum dicitur, motum habere contrarium, intelligimus motui ut sic non repugnare habere contrarium.

Quod si hoc non placet, dicito, quod aliud est dicere, A in eo quod A convenit aliquid: et aliud est dicere, A in eo quod A non convenit aliquid, ut patet. Et quod quicquid convenit A, in eo quod A, convenit omni A: quicquid autem non convenit A, in eo quod A, non oportet negari ab omni A. Risibile enim non convenit animali in eo quod animal, et tamen non negatur ab omni animali. Convenit enim animali in homine. Et subjungito, quod omnes propositiones in instantiis adductæ sunt intelligendæ negative, ut sit sensus: motus est velocitabilis in infinitum, id est motus ut sic est determinate velocitatis. Similiter continuum est divisibile in infinitum, id est continuum ut sic non est determinate divisionis. Similiter motus habet contrarium, id est motus ut sic non determinat sibi esse abeque contrario: et sic, secundum utrumque modum respondendi, remanet propositio assumpta universaliter vera.

Posset tamen et aliter dici ad has instantias: sed quia magis ad formam propositionis attendo quam ad materiam, ideo in præsentiarum pertranseo.

Similiter etiam non potest dici, quod ratio generis accidat

naturæ humanæ secundum illud esse, quod habet in individuis, quia non invenitur in individuis natura humana secundum unitatem, ut sit unum quid conveniens cuilibet, quod ratio universalis exigit.

Hic ponitur quinta conclusio negativa, scilicet *Essentia substantiæ compositæ secundum esse quod habet in singularibus, non est universalis*. Probatur sic: universale est in multis: essentia substantiæ compositæ secundum esse quod habet in individuis, non est una in multis, sed diversa in multis; ergo essentia substantiæ compositæ secundum esse quod habet in individuis, non est universalis, et consequenter nec species, nec genus, nec differentia quæ universalitatem supponunt.

Relinquitur ergo quod ratio speciei accidat naturæ humanæ secundum illud esse quod habet in intellectu. Ipsa enim natura habet esse in intellectu abstractum ab omnibus individualibus, et habet rationem uniformem ad omnia individua quæ sunt extra animam, prout essentialiter est imago omnium, et inducens in cognitionem omnium, in quantum sunt homines, et ex hoc quod talem relationem habet ad omnia individua, intellectus adinvent rationem speciei, et attribuit sibi, unde dicit Comment. I de Anima, quod intellectus est qui facit universalitatem in rebus: hoc etiam Avicenna in suæ Metaphysicæ VIII dicit.

Hic per locum a divisione concluditur sexta conclusio affirmativa determinativa quæ sit difficultatis, scilicet *Essentia secundum esse in intellectu est universalis, genus, species, differentia, etc.* Probatur sic: unum in multis et de multis est universale: natura secundum esse in intellectu est una in multis et de multis; ergo est universale. Probatio minoris: uniformiter se habens ad multa, ut essentialis eorum imago, est unum in multis et de multis: natura secundum esse in intellectu est hujusmodi, quia habet esse abstractum ab omni difformitate individuum essentialiter eorum cognitionem gignens; ergo, etc.

Ad evidentiam hujus conclusionis et rationis, quia termini multipliciter dicti secundum Aristotelis doctrinam distinguendi sunt. Nota primo distinctiones terminorum in conclusione positorum. Esse in intellectu contingit dupliciter, subjective et objective. Esse in intellectu subjective est inherere ipsi, sicut accidens suo subjecto, ut albedo superficiæ. Esse in intellectu objective est terminare actum intellectus. Intellectus est duplex in nobis, agens et possibilis, ut dicitur III de Anima, text. comm. xvii. Intellectus agens est ille qui abstrahit speciem intelligibilem a phantasmatibus. Intellectus possibilis est ille qui intellectionem recipit in se. Universale duplex, in representando et in prædicando. Universale in representando in proposito est quod representat rem, non representando conditiones ejus individuales. Universale in prædicando est illud quod prædicatur de multis differentibus secundum esse.

His visis, scito conclusionem illam, scilicet *Natura secundum esse in intellectu est universalis, trifariam verificari*. Primo sic: natura secundum esse objective in intellectu agente est universalis in prædicando. Secundo sic: natura secundum esse subjectivum in intellectu possibili

est universalis in representando. Tertio sic: natura secundum esse objective in intellectu possibili est universalis in prædicando.

Sciendum est secundo, quod res extra, secundum quod est actu intelligibilis, est objective in intellectu agente: sic enim terminat ejus actionem, quia ad hoc positus est ab Aristoteli intellectus agens, ut faciat rem intelligibilem in potentia intelligibilem in actu, ut Comment. dicit III de Anima, comm. xviii. Fit autem actu intelligibilis res extra ab intellectu agente, non per hoc quod recipiat aut perdat aliquid secundum esse per illius actionem, sed ex hoc quod ejus species intelligibilis producit ab intellectu agente. Per hoc enim res extra representatur non representatis conditionibus individualibus, cum quibus in potentia intelligibilis erat non in actu. Unde ipsa productio speciei intelligibilis est factio rei extra intelligibilis in actu. Habet enim ratio illa duos terminos. Unum intra animam, scilicet speciem intelligibilem, quæ realiter producit de novo in intellectu possibili. Et alium extra, scilicet rem cujus est illa species quæ nihil reale ex hoc acquirit, sed tantum denominationem extrinsecam, scilicet quod est abstracta ab hic et nunc: quod est actu intelligibilis, etc.

Natura autem extra, secundum quod est actu intellecta, est objective in intellectu possibili: sic enim terminat ejus actionem, quæ est intelligere. Fit autem et est actu intellecta res extra, non per hoc quod aliquid accipiat aut amittat per actionem intellectus possibilis, sed ex hoc quod conceptus ejus formatur ab intellectu possibili: tunc enim res intelligitur, quando ejus conceptum formamus. Unde ipsa conceptus formatio est factio rei extra actu intellectæ: habet enim et hæc actio duos terminos. Unum intra animam, scilicet conceptum, qui realiter fit, qui nihil aliud est quam expressa similitudo rei, rem præsentem objectaliter faciens intellectui possibili. Et alterum extra, scilicet rem quæ ex producto conceptu extrinsece denominatur actu intellecta.

Ex his patet, quæ sit differentia, et quæ sit convenientia inter rem objective in intellectu agente et intellectu possibili. Differentia siquidem est quia ex hoc quod objective in intellectu agente fit, et est actu intelligibilis, non autem intellecta. Ex hoc vero quod est objective in intellectu possibili quæ jam erat actu intelligibilis, sit actu intellecta. Convenientia autem est, quia tam ex hoc quod est objective in intellectu agente, quam ex hoc quod est objective in intellectu possibili, habet quod sit representata absque individualibus conditionibus, et consequenter quod sit abstracta ab hic et nunc, etc.

Sciendum est tertio ex Avicenna V Metaph., cap. 1, quod universale in prædicando est id quod in intellectu non est impossibile prædicari de multis. Et hoc tripliciter potest se habere:

Primo, quod illa multa sint actu in rerum natura: sicut homo objectus intellectui est universale respectu Sortis et Platonis.

Secundo, quod illa multa non sint, possunt tamen esse: sicut domus heptangula objecta intellectui est universale respectu plurium heptangularum quæ non sunt, possunt tamen esse.

Tertio, quod illa multa nec sint nec esse possint: sicut luna objecta intellectui est universale respectu plurium lunarium, quæ impossibile est esse. Et Gabriel objectus intellectui est universale respectu plurium Gabrielium, quos implicat contradictionem esse. Universale primo modo vocatur a S. Thoma I parte, quæst. xiii, universale secundum rem et secundum rationem: quia res illa realiter est in pluribus, et non solum

ut objecta intellectui. Universale tertio modo vocatur ibidem universale seu commune secundum rationem tantum : quia res illa non invenitur realiter in pluribus, sed ut objecta intellectui tantum. Universale secundo modo ibi distinguitur contra universale primo modo. Posset tamen nomine proprio dici universale secundum rationem et secundum rem, in potentia tamen. Nec solum nomina ibi imponuntur a S. Thoma sed et dictorum ratio assignatur valde subtilis, quae super quatuor propositiones fundatur.

Prima est, Universalitas et praedicabilitas non conveniunt rei secundum se, nec secundum esse, quod habent extra animam; patet illa ex dictis:

Secunda est, Res materialis, quae sola per propriam speciem cognoscitur a nobis, secundum quod est in intellectu nostro, objective representatur absque conditionibus individualibus; patet illa etiam ex dictis.

Tertia est, Res immaterialis etiam Deus ipse, secundum quod est in intellectu nostro, objective representatur per modum rerum materialium, scilicet non representatis proprietatibus individualibus. Patet illa : quia res illa non cognoscitur a nobis secundum quod in seipsis sunt, sed per modum rerum materialium : nec per proprias species, sed per species rerum materialium.

Quarta est, Res omnis ut representata absque conditionibus individualibus, non magis respicit unum quam plura individua. Patet illa : quia ut abstracta est, aequaliter ad unum et multa se habet. Nihil enim fingi potest, unum abstractum ut abstractum unum magis respiciat, quam plura, vel e contra. Unde et notanter Avicenna apposuit in definitione universalis illam particulam, secundum quod est in intellectu. Multa enim sunt universalia, quibus tam secundum esse extra, quam secundum propriam rationem repugnat praedicari de pluribus, ut de intelligentis dicitur. Nulli autem universali, secundum quod est in intellectu representatum, absque propria et particulari existentia, proprietate et hypostasi repugnat praedicari de pluribus. Ex quibus formatur talis ratio : res quaelibet et sola aequaliter se habens ad unum et plura individua est universalis in actu praedicando res quaelibet sola ut representata intellectui nostro, et aequaliter se habens ad unum et plura inferiora : ergo res quaelibet et sola, ut representata intellectui nostro, est universalis in actu in praedicando. Major patet ex definitione universalis assignata ab Aristotele I Perihermenias. Minor vero quoad secundam partem patet ex prima propositione : quoad primam autem partem ex reliquis tribus.

Ex his corollarie elicitur, quod ad hoc quod aliquid sit universale in actu in praedicando, non exigitur actualis relatio naturae obiectae ad particularia : sed sufficit quod res ipsa sit in ea dispositione, secundum quam intellectus ad libitum possit illam relationem sibi vere attribuere, nihil addendo praeter ipsam actualem relationem.

Istis praebatis, jam patere potest conclusio intenta secundum omnes tres sensus assignatos.

Et pro primo quidem sensu argui potest sic : id quod in intellectu non est impossibile praedicari de multis, seu (ut Aristotelis verbis utar) aptum natum est praedicari de multis, est universale in praedicando : sed res secundum esse obiectivum in intellectu agente est huiusmodi : ergo res secundum esse obiectivum in intellectu agente est universalis in praedi-

cando. Major patet ex Avicenna et Aristotele. Minor vero probatur sic : res abstracta a conditionibus individualibus ut sic, est apta nata praedicari de pluribus : res secundum esse obiectivum in intellectu agente, est abstracta a conditionibus individualibus ; ergo, etc. Praemissae omnes ex dictis sunt manifestae.

Ex his habes quam male dixerit Scotus II Sent., dist. III, quaest. I, in responsione ad primum, dicendo, quod natura ante actum intellectus possibilis nihil habet, nisi quod convenit sibi extra animam. Patet enim iam quod secundum sententiam Aristotelis est actu intelligibilis abstracta ab hic et nunc : et consequenter universalis in actu ante actum intellectus possibilis.

Pro tertio sensu arguere aliter non est opus, eo quod eodem modo procedendum esset.

Secundus autem sensus intelligentibus terminos ex rationibus terminorum clarus est. Natura namque secundum esse subjectivum in intellectu possibili, nihil aliud est quam similitudo immaterialis sui representativa in illo existens. Similitudo autem immaterialis a singularibus abstracta, rem universaliter necesse est representet, eo ipso quod abstracta est. Si enim rem universaliter non representet, sed particularibus conditionibus immixta, et non a materialibus conditionibus abstractam, non esset universalis ; ergo in representando ipsam est universalis res, secundum quod est subjectiva in intellectu possibili, id est species seu similitudo ipsis naturae pro quanto representat naturam ipsam non representatis conditionibus individualibus.

Et nota quod quia natura ipsa habet duas similitudines in anima, scilicet speciem intelligibilem et conceptus : sive speciem impressam et speciem expressam : ideo secundum utramque speciem est universalis in representando. Quare autem oportet duas species ponere, et quomodo, si Deus concesserit nobis vitam, alibi dicitur. Quamvis autem conclusio secunda possit omnibus modis dictis verificari : attamen primus et tertius sunt ad propositum litterae. Intentimus enim hic de universali in praedicando, quod intentionem logicam sonat, et non de universali in representando quod nulla intentione secunda logica dicitur universale, sed ex esse proprio, quod secundum rem sortitur.

Litteram sic glossare potes. Ipsa enim natura habet esse in intellectu agente vel possibili, tam objective quam subjective, abstractum ab omnibus individualibus conditionibus. Et habet rationem uniformem objective in praedicando, subjective in representando, ad omnia individua quae sunt extra, prout essentialiter est similitudo omnium objective in essendo, subjective in representando, indicens cognitionem omnium, in quantum sunt homines : quia ut sic assimilantur. Et ex hoc quod talem relationem, scilicet uniformitatis et similitudinis essentialis vel representativae habet natura ad omnia individua intellectus, advenit rationem speciei, id est, secundam intentionem, quae est species, et attribuit ipsi naturae uniformiter se habenti ad individua ex hoc, quod representatur absque omni individuantium difformitate.

QUAESTIO VII

Num universalis in actu sint extra animam.

Circa dicta est quaestio non modica, an universalis in actu sint extra

animam, an fiat per opus intellectus, quemadmodum dictum est. In hac questione primo declarabitur titulus. Secundo ponetur opinio Scoti. Tertio ponetur opinio S. Thomæ. Quarto respondebitur ad argumenta in oppositum.

Quoad primum : quia hæc quæstio diversimode intellecta, diversis modis a philosophis determinata est, in præsentiarum Peripateticam sententiam supponendo, scilicet quod universalis non subsistat extra singularia, declaranda est quomodo intelligitur.

In nomine universalis tria intelligimus. Primo universalitatem, quæ est relatio rationis. Secundo rem, quæ denominatur universalis ab illa universalitate. Tertio, aptitudinem ad essendum in multis, quæ est quid medium inter illa duo, et est fundamentum proximum, quare res suscipiat illam relativam denominationem : ideo enim rei intellectus attribuit relationem universalitatis, quia res illa apta nata esse in pluribus : non vertitur in dubium, an illa relatio, quæ vocatur universale formaliter sit extra animam : eam enim omnes ab intellectu fieri dicunt. Nec queritur an illa res, quæ denominatur universalis, quæ vocatur universale objective in potentia, sit extra animam. Communis enim sententia est, quod quandoque res illa est extra animam, quandoque non. Si enim res illa est res realis, puta homo, bos et hujusmodi, ponitur extra animam. Si autem res illa sit ens rationis, non ponitur extra, ut subjectum, prædicatum, propositio, syllogismus, et similia. Sed dubitatio est, an aptitudo ad essendum in multis sit extra animam : ita quod absque omni opere intellectus inveniatur res apta nata esse in multis, quæ vocatur universale in actu objective ; an solum extra animam sit res ; aptitudo autem ad essendum in multis inest rei per opus intellectus. Et quia aptitudo illa complet rationem universalis in actu, objective sumendo universale, licet non formaliter : ideo querere an extra animam inveniatur totum hoc, scilicet res apta nata esse in pluribus, est querere, an sit extra animam universale in actu objective.

Et debes scire ad evidentiam terminorum, quod sicut album accipitur dupliciter, scilicet formaliter et subjective : ita universale accipitur dupliciter, scilicet formaliter et subjective. Subjective enim accipi non potest, eo quod universalitas in nullo est subjective cum sit ens rationis. Universale formaliter est ipsa universalitas, quæ rationis relatio est. Universale objective subdividitur in universale objective in actu, et universale objective in potentia. Universale objective in actu est totum hoc, scilicet res una apta nata esse in pluribus. Universale objective in potentia est res ipsa formaliter ; non adjungendo sibi aptitudinem ad essendum in pluribus. Ex his patet, in quo stat difficultas : et patet in quo quid nominis terminorum in titulo quæstionis positorum. Intendimus enim non de universali formaliter, nec de universali objective in potentia, quia in his convenimus ; sed de universali objective in actu. Propterea cum loquimur de universali in actu absque additione objective intelligi volumus ne in æquivoco laboremus. Hæc de primo.

Quoad secundum : Scotus supra VII Metaph., quæst. XVI sequendo fundamenta sua : quod scilicet naturam extra animam sequantur unitas formalis et communitas, opinatur rem unam aptam natam esse in pluribus dari extra animam : ad hoc dicit universale in actu esse in rerum natura absque omni opere intellectus. Adducit quoque ad hoc multas rationes, quas in medium afferre esset limites intentionis nostræ excedere : propterea eas afferam, ex quarum solutione reliquarum debilitas innotescit.

Arguit primo per locum a definitione ad diffinitum sic : circumscripto quocumque actu intellectus res est apta nata esse in pluribus : ergo datur universale in actu, ut datur animam. Tenet consequentia, quia universale objective in actu, ut distinguitur contra singulare et prædicabile diffinitur primo Perihermenias : universale est quod aptum natum est esse in pluribus. Antecedens probatur : quia si non, ergo aptitudo ad essendum in pluribus repugnat sibi, nec conferri sibi posset saltem ab intellectu : quia tunc pari ratione posset dare Sorti talem aptitudinem.

Præterea, Universale in actu est proprium objectum intellectus : igitur præcedit actum intellectus. Tenet consequentia ex II de Anima, ubi dicitur quod objectum est prius actu.

Præterea, Objectum scientiæ realis est ens extra animam : universale in actu est objectum scientiæ realis ; igitur universale in actu est ens extra animam.

Præterea, Relatio mensuræ est realis V Metaph., sed illa fundatur in aliquo universali. Probatur : quia oportet esse aliquid unum mensuram aliarum specierum ; sed non unum numero secundum Aristotelis ; ergo universale.

Præterea, Operatio seu passio realis primo et adæquate inest universali, ut intelligere homini ex primo posteriorum ; igitur datur universale extra animam.

Præterea, Contrarietas est opposita realis, et ejus extrema sunt universalis non singularia ; ergo datur universalis extra animam.

Præterea, Si universale fit ab intellectu, quomodo res prædicatur de re ? et quomodo universale est ubique et semper incorruptibile et æternum ? et quomodo materia et forma pertinent ad quidditatem universalis physici ? et quomodo universalium tantum est diffinitio ? et quomodo genera et species, et universaliter prædicamenta sunt entia extra animam ?

Præterea, Si nihil esset in re nisi singulare, nulla esset unitas realis, nisi numeralis, quæ est propria singulari : consequens est falsum ; ergo, etc. Hæc de secundo.

Quoad tertium scito nos sequentes S. Thomam ac per hoc communem Peripateticorum doctrinam, oppositam in hac re proferre sententiam. Dicimus namque, quod illorum trium, quæ in universalis nomine intelliguntur, unum tantum quandoque est extra animam, scilicet res ipsa una formaliter reliquis duobus opus intellectus consequentibus : quod et probatur simili modo arguendo, quo supra argutum est : quicquid sequitur naturam ratione sui, simpliciter prædicatur de individuo illius nature : sed aptitudo ad essendum in pluribus aperte sequitur naturam, puta humanitatem ratione sui ; ergo aptitudo ad essendum in pluribus prædicatur simpliciter de individuo humane nature : ergo ista erit vera, Sortes est aptus natus esse in pluribus : quod est impossibile. Major manifesta fuit supra, ex eo quod omnia, quæ comitantur naturam ratione sui, non separantur ab ea posita in individuo, et consequenter prædicantur de eo : quia, esse in, fundat dici de.

Præterea, Omnis aptitudo fluens ab aliqua natura, invenitur in qualibet singulari natura inferiori ad illam : sed aptitudo ista, scilicet ad essendum in pluribus, fluit ab aliqua natura, puta ab humanitate : ergo aptitudo ad essendum in pluribus invenitur in qualibet natura humana ; processus bonus, et conclusio falsa : ergo altera præmissarum ; non major,

quæ ex terminis patet; ergo minor, quæ est conclusio adversariorum. Falsitas conclusionis probatur sic: illa aptitudo attribuenda non est eulibet humanitati, quæ in qualibet humanitate impossibilis est reduci ad actum. Patet ista: quia aliter otiose data esset talis aptitudo. Aptitudo enim est propter actum: sed aptitudo ad essendum in pluribus est hujusmodi, scilicet quod in qualibet humanitate posita impossibilis est reduci ad actum, quia impossibile est, ut humanitas Sortis actu sit in Sorte et Platone, aut migret de Sorte in Platone; ergo aptitudo ad essendum in pluribus non est attribuenda eulibet singulariter humanitati. Dicamus igitur rem unam esse extra animam; aptitudinem autem ad essendum in pluribus convenire rei secundum esse, quod habet in intellectu: quia convenit ei sub solitudinis conditione posita. Solitaria enim accepta natura apta nata est in multis, saltem secundum rationem esse. Solitudo autem cum importet separationem naturæ a proprietatibus individualibus, non convenit rei nisi in intellectu agente vel possibili objectæ.

Et advertas ad majorem nostræ positionis evidentiam quod hic accidit similis defectus Scoti, illi, qui positus est supra. Cum enim aptitudo ad essendum in pluribus sit idem, quod non repugnantia ad essendum in pluribus, arguit sic: natura, puta humanitati inquantum humanitas non repugnat esse in pluribus; ergo humanitati, inquantum humanitas, convenit aptitudo, seu non repugnantia ad essendum in pluribus, et consequenter humanitas est universalis absque opere intellectus. Apparet autem manifeste peccatum in hoc processu, cum ex negativa inferatur affirmativa de prædicato infimio reduplicatione addita. Prima enim propositio, quæ est negativa veritatem habet. Secunda vero quæ affirmativa est, est impossibilis: quod patet ex eo, quod humanitas inquantum humanitas abstrahit a repugnantia ad essendum in pluribus, et non a repugnantia ad essendum in pluribus sicut abstrahit ab albo et non albo. Si enim humanitas vindicaret sibi inquantum humanitas, non repugnantiam ad essendum in pluribus, nullo pacto humanitati posset convenire repugnantia ad essendum in pluribus: et sic nec per se, nec per accidens posset repugnare humanitati esse in pluribus: quod est manifeste falsum. Humanitati enim Sortis ratione adjunctæ hæcchaitatis repugnat esse in pluribus: consequentia tenet: quia oppositum ejus quod convenit alicui, secundum quod ipsum nullo modo potest inveniri in illo: ut habes ex I. Posteriorum. Quævis igitur naturæ ratione sui non repugnet esse in pluribus: non tamen vindicat sibi ratione sui non repugnantiam ad essendum in pluribus: et cum eam non vindicat sibi secundum esse, quod habet in singularibus, relinquatur quod vindicabit eam sibi secundum esse quod in intellectu sortitur. Et quia ad hoc quod aliquid sit universale in actu, exigitur quod vindicet sibi non repugnantiam ad essendum in pluribus cum in diffinitione ejus ponatur: quod enim ponitur in diffinitione per se competit diffinito: ideo res ratione sui non potest esse universalis in actu, sed quamprimum est objecta intellectui agenti vel possibili, fit universalis in actu, quæ universalis erat in potentia. Quomodo autem fiat hujusmodi reductio potentia ad actum, jam dictum est, scilicet quod ab intellectu agente fit per productionem speciei intelligibilis, ab intellectu vero possibili per formationem conceptus.

Quod si aliquis fluxerit, universale in actu constitui per negationem repugnantia ad essendum in pluribus, et non exigere affirmationem non repugnantia advertat se errare propter tria.

Primo, propter hoc, quod in diffinitione universalis affirmativa cedit ipsa aptitudo seu non repugnantia ad essendum in pluribus.

Secundo, quia si ad universalem sufficit negatio repugnantia ad essendum in pluribus, ad singularem quoque sufficit negatio repugnantia ad essendum in uno solo. Sicut enim universale se habet ad multa: ita singulare ad unum tantum: et si sic est, tunc humanitas, inquantum humanitas, erit universalis et singularis: de ea enim ut sic negatur utraque repugnantia.

Tertio, quia cum universale in actu distinguatur contra singulare: sicut singulari repugnat esse in pluribus, ita universali in uno tantum: humanitati autem, de qua negatur repugnantia ad essendum in pluribus, non repugnat esse in uno tantum; ergo negatio talis repugnantia non sufficit ad constituendum universale in actu. Et potest hæc ratio formari contra principale sic: universale in actu repugnat esse in uno tantum: humanitati inquantum humanitas non repugnat esse in uno tantum, aliter non posset salvari in uno tantum individuo; ergo humanitas ut sic, non est universalis in actu. Similiter dicas de quacunque alia natura. Hæc de tertio.

Quoad quartum respondendum est argumentis in oppositum. Et primi quidem negatur antecedens, ad cuius probationem dicitur negando consequentiam. Non enim valet: res circumscripto actu intellectus, non est genus; ergo sibi repugnat esse genus. Stat enim quod abstrahit ab utroque: sic autem est in proposito; natura enim ipsa circumscripto actu intellectus abstrahit ab aptitudine ad essendum in pluribus, et a repugnantia ad essendum in pluribus, ut ex dictis patet.

Ad secundum dupliciter respondetur, et utroque modo bene. Primo negatur consequentia, si sermo fit de intellectu agente: quia potentia activa non presupponit objectum suum, sed facit illud. Si autem sermo sit de intellectu possibili, concessa consequentia prima, non sequetur: ergo universale in actu est extra animam, quia fit per actum intellectus agentis. Secundo dicitur, quod cum universale in actu nominet duo, scilicet rem et aptitudinem, etc., res ipsa est objectum, aptitudo autem est modus objecti seu conditio, sine qua res non est objecta. Sufficit autem, quod res ipsa, quæ est objectum, præcedat actum intellectus, et non oportet quod modus ejus præcedat. Objectum enim, ait Aristotelis est prius actu, non modus objecti. Unde ad formam argumenti negatur consequentia: quia etsi posterioriorali antecedentis non obstat aptitudinem esse medium objecti: obstat tamen illationi consequentis ex eo; prioritas enim modi non potest inferri ex posterioritate objecti.

Per hoc idem respondetur ad tertium, quod scilicet res objectæ scientiæ reali est extra animam, non modus rei objectæ: universale autem in actu nominat utramque, scilicet rem et modum, et ideo universale in actu non sequitur esse extra animam, ex eo quod res, de qua est scientia est extra.

Ad formam argumenti dicitur, quod vera existente majore committitur fallacia figure dictionis: mutatur enim res objecta in modum rei, seu in rem cum modo.

Sed contra istas responsiones instat Scotus ibi: et primo contra primam sic: quicquid est per intellectum agentem est prima intentio; ergo nullum universale est in genere substantia: consequenter nulla est prædicatio in quid superiorum de inferioribus.